

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Corona Sacratissimorvm Jesu [Iesu] Christi Vulnervm**

**Wael Van Vronesteyn, Willem de  
Antverpiæ, 1649**

Depositus è Cruce Salvator in sinum Matris deponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

priis manibus crucifixisset filium, neque enim credendum est minoris fuisse perfectionis, & obedientiae erga Deum, quam Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium propriis manibus occidendum, & comburendum.

## CONSIDERATIO IV.

*Depositus à Cruce Salvator in sinu Matris recumbit.*

**H**oc spectaculum nostrum est, crucifixus, vulneratus, cruentus, mortuus Iesus in virgineum Matris sinum à Cruce depositus, optimus scilicet ac suavissimus ille filius inter brachia optimae ac suavissimae Matris, ille filius deformatissimus, inter amplexus matris afflictiissimae.

Crede, anima mea, cùm tam lugubri huic speculo assistis, afflictiissimam matrem plenos lacrymarum oculos ad te à vulneribus dilectissimi filii

filii tantisper avertere , manuque corpus lacerum tibi ostendentem , simul ita te alloqui : Ecce , quò Deum , & Dei matrem tu perduxeris : tu enim horum tormentorum nobis es causa .

Eia Mater amantissima , non jam fasciculus myrrhae , sed fascis ingens est tibi filius dilectissimus , qui eo tibi fit gravior , quò animum meum adeò parum tibi compatientem clariùs introspicis , neque proferentem fructum dignum pretioso Salvatoris sanguine , ac virgineis tuis lacrymis , quibus tam copiosè irrigatus est .

B. Birgitta miruni in modum doloribus B. Virginis compatiebatur , illius querelis permota , raro scilicet esse , qui eam sincero amore colerent ; pauciores , qui illi in filio patiente , ac crucifixo compaterentur , cùm tamen viro nobili , sed admodum impio , uti ipsa S. Birgitta refert , saluti ad extremum fuisset , Deiparæ aliquando fuisse compassum , æternis doloribus nolenti addici animam , quæ sibi , licet rariùs , & modicè condoluisset .

T 5

Sacer-

Raz. l. I.  
Mir. B.  
Virg.

Sacerdos quidam Deiparæ dolores perpendens , ut illam solaretur : Gaude , ajebat , Maria , quia gaudium ab Angelo suscepisti , & mundo peperisti : Gaude Maria , quia Dei Mater & Virgo es. Gaude Maria , quia omnis creatura in cœlo , & in terra te collaudat. Contigit illum gravi morbo affectum ad extrema redigi , & in salutis desperationem à dæmone conjici : Adfuit confestim Deipara. Et tu , inquit , fili , cur mærore conficeris , qui in mærore meo me toties solatus es ? Animos resume , & lætus tecum veni , & intra in gaudium Domini tui. Ita Deiparæ condoluisse æternorum gaudiorum principium est.



CON-